Ferriüs.

VITA BEATI CASIMIRI CONFESSORIS ex serenissimis Polonię regibus, & magnis Lituanię ducibus clarissimi a Reuerendissimo patre dño Zacharia Ferrerio Vicentino pontifice Gardieñ: in Poloniã & Lituaniã legato apostolico ex fide dignorꝫ testium depositionibus scripta.



B. Casimirus Regis Casimiri filius quattuor Regum ⁊ vnius Cardi-nalis germanus ac Ludouici Hungariæ ⁊ Boemiæ Regis patruus.



Pſalmo cxviij. Faciem tuã illumina ſuper ſeruũ tuũ dñe, & doce me iuſti. tuas.

VITA BEATI CASIMIRI CONFESSORIS.

IN nomine ſanctę & indiuiduę Trinitatis Patris, & filij, &
ſpiritus ſancti Amẽ. ZACHARIAS Dei & Apoſtolicę
ſedis gratia Epiſcopus Gardieñ Sanctiſſimi in Chriſto
patris & dñi noſtri dñi Leonis diuina ꝓuidentia Papę decimi
prelatus domeſticus, & referendarius, ac per vniuerſum Re-
gnum Poloniæ, & magnũ ducatum Lituanię & Moſcouię,
omneſqꝫ & ſingulas terras eiſdem Regno & ducatibus me-
diate vel immediate, aut al's quomodolibet ſubiectas cũ om-
nimoda legati de latere, & maioris pęnitentiarij de vrbe po-
teſtate nuncius, & orator, atqꝫ ad infraſcripta Commiſſarius
ſpecialis vniuerſis & ſingulis chriſtianę religionis profeſſo-
ribus ſalutem, & æternam fœlicitatem. Immenſa & incom-
pręhenſibilis dei ſapiẽtia habitans in conſilio, & eruditis prę- Prouer. viij.
ſidens cogitationibus: cuius eſt ęquitas: cuius & prudentia,
ac fortitudo: per quam reges regnant, principes imperant, &
legum conditores iuſta decernunt, ſic ſua inenarrabili proui-
dentia omnia temperat, omnia moderatur: vt nulli ętati, nulli
nationi, nulli ordini oportuna ope ac largitate vllo vſqꝫ tem-
pore deſit quaſi trames aquę imenſę, & quaſi fluuius Dorix
rigans hortum plantationum, & penetrans omnes inferiores Eccle. xxiiij.
partes terrę. Ipſa eſt, quæ priori ſęculo ante legem ſcriptam
patriarchas: poſt legem & ante gratiam prophetas; poſt vero
gratiam naſcenti eccleſię apoſtolos, & euangeliſtas, adole-
ſcenti martyres, creſcenti in fortiorem ætatem pontifices, do-
ctores, & interpretes ſanctiſſimos, in fines autẽ ſęculorũ de-
clinanti vt plurimũ confeſſores viros inſignes: qui varijs in
locis & mundi regionibus ad bene beateqꝫ viuendum, per-

petuamq̃ fœlicitatem capescendam quasi tutelares patroni
humano generi opitularent sua indeficienti bonitate proui-
dit. Quū enim Lituania, seu potius Litalianía Sarmatię am-
pla & nobilis apud basternas prouintia: quam ex italis quon-
dam plurimi in magni Pompeij partes declinantes longe an-
tea colonijs, & nomine illustrarant, sub Vrbano. vi. Pontifice
maximo, & Vladislao Iagellone lituanorum, seu litalianorum
magno duce anno salutis millesimo trecentesimo octuage-
simosexto Christi fidem suscepisset, eodemq̃ Vladislao sacro
fonte baptizato, ac in Sarmatię siue Polonię regem coronato
Vitoldus alias Alexander, & deinde Sigismundus eius ger-
mani titulum christianitatis adepti lituanis successiue impe-
ij.Cor.j. rarent omnipotens pater misericordiarum, & deus totius
cōsolationis, quo nouella hæc verę religionis plantatio eo al-
Psal.j. tius cresceret, & tanq̄ lignum plantatū secus decursus aqua-
rum vberiorē fructum afferret in tēpore suo, cœlestis illam
gratię imbre in seruo suo Casimiro ex regibus Polonię, & du-
cibus Lituanię spectabili visitare, & perfundere dignatus est.
Nam Vladislaus ipse Iagello ex Sophia tercia vxore duos
genuit filios, Vladislaum, & Casimirū ipsius Casimiri patrem.
Vladislaus Hungarię & Polonię regnis potitus est. Casimi-
rus autē post Vladislai fratris sui obitum ad Polonię regnum
sublimatus tanq̄ casa mira seu mirabilis iuxta sui nominis la-
tinam ethimologiam de Helisabet Alberti ex Austriæ duce
Hungarię, & Boemię, demumq̃ Romanorum Regis filia con-
Mat.vij. iuge sua veluti ex arbore optima optimos fructus ꝓcreauit
Vladislaum Boemię, & deinde Hungariæ, Casimirū de quo
agimus, Ioannem albertū, Alexandrum, & Sigismundū Polo-

nię reges, necnon Fœdericum sanctę Lucię in septem solijs
S.R.E. diaconū Cardinalem postea Gnezneñ archipręsulem
liberos sex christiana pietate conspicuos sicuti calamos au- Exodi.xv xxxvij.
reos sex (si dicere fas est) ex tabernaculi domini catholicam
ecclesiam pręsignantis aureo illo candelabro ꝓdeuntes. Ve-
rum Casimirus secūdus inter eos acsi inter gemmas specio-
sissimas carbunculus quidā diuino amore afflatus ciuitatem Heb.xiij.
hic permanentem se non habere conspicatus futurā quęsiuit
non manufactā in cœlo, thesaurizansq̃ sibi thesauros vbi nec Math.vj
erugo nec tinea demolit, furesq̃ non defodiunt, aut auferunt
labentis huius sęculi gloriam cōtempsit, atq̃ post aurum non Eccl.xxxi
abiens, nec sperans in pecunię thesauris, quū inter diuites di-
ues, ac potentes principes & ipse princeps transgredi potue-
rit, non est tamen trāsgressus, nec mala gessit. Quum igitur
adhuc puer pręclaris moribus, bonisq̃ litteris erudiendus op-
timis præceptoribus a parentibus traditus in tenera illa ętate
tantū profecisset: vt nō mediocri omnibus esset admirationi
pueritiā ipsam & adolescentiā virtutibus omībus, ingenua-
rumq̃ artium disciplinis ita exegit: vt semp & ætate & sapi- Luce.ij.
entia cresceret, ac spiritus dñi esset in illo. Inerat ei timor dñi Prouer.j.
tantus verę sapientię initium: vt minimū etiam reatum flagi- Psal.cx.
tium maximū: nec tantū declinare a malo: sed & facere bonū Ps.xxxvi
necessarium fore arbitraretur. Porro dum eum adolescentię
florem, quo potissimū illud hominū genus voluptati indul-
gere consueuit, attigisset, tanto sensus omnes, animumq̃, ac
corpus ipsum continentię freno ab omni labe compescuit: vt
non modo adolescentibus: sed & grauioribus viris, totius
munditię, & castitatis speculum haberetur. Quanq̃ in domi- Math xj.

bus regum eſſet, mollibus tamen nõ veſtiebatᷣ: ſed ſecretiori
ſuper carnem cilicio nõnunq̃ vtens, lectiq; molliciem, tanq̃
peccandi fomentũ quãtum cautius poterat furtim effugiens
ſuper nudam humũ ſæpenumero qeſcebat: & licet innocens
& omnis pene peccati expers eſſet, tanto tamẽ cõpunctionis
ardore, & in ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti pro humani gene-
ris ſalute ſuſceptam ſerui formã, agonemq;, ac mortem aſſi-
dua compaſſionis meditatiõe afficiebatur: vt lauaret per ſin-
Pſal.vi gulas noctes lectum ſuũ: & lachrymis ſuis ſtratum ſuũ riga-
ret. Incredibili etiam erga glorioſam dei genitricẽ deuotione
flagrabat: quam pius adoleſcens facta a ſe exametris egregia
oratione (quã & vidimus omnia pene dominicę incarnatio-
nis myſteria pulchro ſchemate claudentem) quotidie ſaluta-
bat, aſſiduiſq; laudabat præconijs. Quid referam quanta ſe-
dulitate diuinis orationibus, diuiniſq; laudibus, & cerimonijs
eccleſiaſticis intentus erat: cuius vita magis in eccleſia: q̃ in
aula regia, magiſq; cum ſacerdotibus & viris religioſis, q̃ cũ
aulicis ſemp acta eſt. Conſueuerat ſane ſilentis noctis medio
ſancta frequenter loca & ſacras ędes nullo ſæpius comitatus
homine clam viſere, & quarum nocturno tempore, (vti fieri
ſolet) ianuę non patebant limina ſaltem venerabatur, oſcula-
batur valuas: apud quas vigiles ciuitatis, & excubantes no-
cturni exploratores eum diutius orantẽ ſæpenumero offen-
derunt. Mane dei templa quotidie ingrediens diuinis ſacri-
ficijs omnibus quouſq; occluderentur phani ianuę ita ſe-
dulus, ita deuotus, & ſupra ſeipſum miruminmodũ eleua-
tus, ac mente in deum erectus intererat: vt quaſi ſuiipſius ob-
litus, & in diuinum amorem penitus raptus eſſe videretur.

Præteribat frequentiſſime ſumendi cibi, & reficiendi corpo-
ris hora: quũ parentũ repetitis nuncijs, ac mandatis, ad pran-
dendum e templo vix adduceretᷣ. Cibi potuſq; parciſſimus,
ieiunijſq;, & abſtinentię aſſidue vacans apoſtolicum illud ſibi
propoſuerat: quoniã regnũ dei non eſt eſca & potus. In ſer- Ro.xiiij.
mone rarus, mitis, & modeſtus nil aliud q̃ deum: q̃ diuina
præcepta, q̃ virtutes egregias, q̃ ſalutaria monita, & docu-
menta eloquebatᷣ. Quis vnq̃ eum detrahentem ſecreto pro- Pſal.c.
ximo ſuo, aut ocioſum, ſeu vanũ proferentem verbum audi-
uit: Peccantes amice corripiebat: emendatos mira cõplecte-
batur humanitate. Inexorabiles autẽ, & obſtinati animi ho-
mines acri ſeueritate obiurgabat: quorũ plures cum ex ſua
clientela domoq; eliminari pręcepit: tum ex regia aula pelli
ſummã operam effecit. Religio erga deum, erga Chriſtum fi
des, erga ſanctam Romanã eccleſiam orbis magiſtram vene-
ratio tanta in eo fuit: vt ruthenos, q varijs erroribus impliciti
facto in noſtri redemptoris inconſutilem tunicam ſchiſmate
ſanctę apoſtolicę ſedi minime parent, & quorũ per Litalianiã
ipſam maxim⁹ eſt numerus eo ſancto inſectaretᷣ odio: vt regi
polonię parenti ſuo eorũ antiqua phana, ſeu vetuſtate corru
entes eccleſias, ad quas ſupſticioſi cõueniunt, quũ catholicæ
aduerſentᷣ vnitati inſtaurari publico edicto ꝓhiberetᷣ modo
opportune, modo importune ꝑſuaderet: qđ & aliquãdo ſua
ſolertia impetrauit. Spes in eo futurorũ bonorũ, ac æternę fœ-
licitatis ꝑpetua: q exiſtimabat nõ eſſe cõdignas paſſiones hu
ius tẽporis ad futurã gloriã: q̃ reuelabitᷣ in nobis. Quãobrem Ro.viij.
voluptatibus corporeis a ſe prorſus abdicatis caſtigabat cũ
apoſtolo corpus ſuũ, & in ſeruitutẽ redigebat: ne inſurgeret

aliquando caro contra spiritum. Charitas autẽ pene incredibilis, non ficta quidem, sed syncera, qua erga omnipotentem
Ro. v deũ illo spiritu diuino feruebat tam diffusa erat in corde eius, tam exundabat, ex intimoq; pectore ita exterius effluebat in proximum: vt nihil ipsi iucundius, nihil optatius esset: q̃ non solum propria erogare: verum & seipsum totũ Christi pauperibus, peregrinisq;, valitudinarijs, captiuis & afflictis hominibus dedere, & elargiri. Viduis, pupillis, oppressis nõ modo tutor, non modo curator: sed & pater, filiusq;, ac frater erat. Hic profecto longam texere historiã opus esset: si singula dilectionis, & amoris summi opera, quæ in eo erga deũ, & homines viguere essent recensenda. Hæc succincta narratione, & breuiori cõpendio percurrimus: quę ab insignibus & fide omni dignis hominibus, qui cum eo diuturnam, assiduamq; habuere conuersationẽ longa oratione percepimus: quorũ pars magna circa eius a nobis collecta miracula facile pspici
Colo. iij. potest. Sicuti vero charitas est vinculum perfectionis, finisq;
Mat. xxij pręcepti diuini: ex qua & leges pendent, & prophetę: sic Casimirus regius & sanctus adolescens, quum præclaras virtutes omnes sicuti Christi bonus odor redoleret. Charitatem tamen veluti omniũ odoramentorꝝ thecam mirabili quadã suauitate vndiq; spirabat, vndiq; exhalabat. Eam vti virtutũ cæterarum principem, reginamq; pręstantissimã in sponsam, quam vnice adamaret, sibi delegerat: quæ dei filium, pro humani generis salute, de summo cœlo descẽdere, seipsum exinanire: carnem nostram sumere, & mortem subire, sola efficere potuit. Sic enim deum dilexisse mundum, vt filium vni-
Jo. iij. genitum pro mundo daret die noctuq;, ardentissimo cogita-

bat affectu. Quantũ autẽ iusticiam coluerit quantum amplexatus temperantiã fuerit, quanta prudentia præditus, quantaue animi fortitudine, atq; constantia fulciebat, in ea potissimum ætate liberiori, qua præcipites, & in malum suapte natura homines proni esse consueuere vix dici, vix excogitari potest. Iusticiam in regno & subiectis populis gubernandis patri quotidie suadebat. Et si quãdoq; per incuriam (vti euenire assolet) aut humanam imbecillitatem aliqd in regimine negligebatur Regem modeste arguere nequaq̃ omisit. Inopum & miserabilium hominũ causas æque ac suas tuebatur, amplectebatur: propter quod pauperum defensor a populo nuncupabat. Nec & si regis filius, & sanguinis magnitudine sublimis esset, cuiq; se quantumuis humili & infimo homini tam cõuersando, q̃ loquẽdo difficilem exhibebat: sed animo voluens deum, qui in altis habitat, humilia respicere in cœlo, Psal. cxij.
& in terra, suscitareq; de terra inopem, & de fimo erigere pauperem, inter mites, & pauperes spiritu, quorũ est regnũ cœ- Luce. vi.
lorum, potius q̃ inter elatos, & potentes huius sœculi haberi semper voluit. Nam quanq̃ perspicacissimi iudicij, ac prudentissimus esset, sententiaq; sua reipublicę plurimũ consuleret, humani tamen fastigij dominatum nec ambiuit, nec oblatum a patre vsq; accipere voluit metuens, ne diuitiarum aculeis,
quas dñs noster Iesus Christus spinas appellauit vulneraret Luce. viij
animus, aut terrenarũ rerum contagio coinquinaretur. Temperantiam in omnibus exercuit, q nec nimis lętabatur prosperis, nec nimis tristabatur aduersis. De constantia autem & fortitudine animi sui omissis plurimis id tantum recensebo: quod maiora ex se præfert experimẽta virtutis. Plures enim

peruicit carnis pugna, pstrarũt incentiua libidinis: quos sup-
plicia corporis, & tormenta attrocia frangere aut flectere ne-
quiuere. Casimirũ autẽ præclarũ adolescentem: cuius animo
adeo erat desponsata virginitas: vt carnales nuptiæ, siue a pa-
rentibus, siue ab amicis ei nusq̃ psuaderi potuerint, nec caro,
nec sanguis, nec blanditiæ, nec titillationes vllę venereæ infi-
cere, aut ab arrepto pudicitię instituto dimouere aliquãdo va
luere. Virginem enim ad finem vsq; vixisse, virginẽq; postre-
mum diem clausisse omẽs & a cubiculo, & a secretis eius viri
maximi, & optimi: quorũ adhuc nonnulli supersunt: qbusue
intus, & in cute agnita illius conuersatio fuerat, asseuerant, &
attestantur. Quod quũ ex pluribus euidentibus argumentis
satis superq; liqueat, ex eo potissimũ, q potius mori elegit, q̃
fœdari, manifestissime compertũ habemus. Quũ enim me-
dio florentissimę iuuentutis in morbum quendã chronicũ in-
cidisset: cui medela alia nulla occurri posse q̃ puellari concu-
bitu medici iudicabant, illiusq; parentes, necessarijq; plurimi,
vt virginem speciosissimam, quã e multis delegerant, vna in
lecto cubare, & pro seruanda vita in amplexus & copulam
ire permitteret enixissime suaderent, rogarent, efflagitarent,
ille sapientissime (vt semp solebat) respondit, se temporalem
hanc, & momentaneã vitam malle amittere: q̃ æterna & im-
marcescibili in cœlo carere, obiurgabatq; eos omnes, q rem
sibi suggerere illicitam non erubescerent. Quũq; adhuc vt
floridæ iuuentuti, vitæq;, ac saluti consuleret magis, ac magis
adhortarent̃, & importunis etiã precibus obtestarẽtur dome-
stici respondit ille salutem vitamq; aliam nescire: q̃ Christum
dominũ: cum quo vt esset cupiebat dissolui, & ad quẽ iam se

ex ea valitudine breui profecturum esse perspiciebat: quod
& ita factum est. Nam ingrauescente morbo quum naturali
robore destitui cœpisset ecclesiasticis sacramentis, veluti spi-
ritualibus quibusdam contra aereas potestates, & tenebra-
rum harum rectores munitus armis, inter assiduas oratio-
nes, & sancta colloquia adstantibus, sacerdotibus, & viris re-
ligiosis animam illam candidissimam, & Christo amabilem
(vt prędixerat) perendie carnis vinculo solutam omnipotẽti
deo reddidit. Obijt autem apud Velliam siue Vilnam Litua-
niæ seu Litalianiæ primariam ciuitatem in Grodno oppido
Anno ab virgineo & salutifero partu Millesimo quadringẽ-
tesimo octuagesimo quarto: die quarta martij illucescente
aurora, annoq; vltimo Xysti quarti pontificis maximi. Vixit
annos vigintitres: menses sex: sepultusq; est collachryman-
tibus cunctis apud arcem, vbi sedes pontificia Vilneñ sita est
in diui Stanislai martyris ac pontificis æde sub sacello almæ
genitricis dei mariæ: cui & mentem omnem, & pudicissimũ
corpus addixerat. Erat autẽ pius adolescens & famulus dei
Casimirus mediocris staturæ cæsariẽ mustellini vel subnigri
coloris habens, subnigris oculis, & naso æquali, ac temperati
ruboris, facie elegãti, formosa & venerabili: vt qualis intrin-
secus esset ex ipsa effigie existimari posset. Aspectu pfecto
pulcher: sed longe pulchrior religione diuina, vt pote mori-
bus ornatus angelicis: cuius mentem atq; regium pectus,
nihil fœdi, nihil turpis, nihil obscœni vnq̃ tetigerat. Quod
post eius obitum luculenter ostensum est. Nam omnipotens
author vt indicaret quanta meritorum cœlsitudine, virtu-
tumq; sublimitate apud se Casimirus magnus extiterit,

mox ex eius ſepulchro tot, tantaq; ſigna, ac miracula pateſa-
cere dignatus eſt, indieſq; magis oſtendit: vt hæſitare nemo
debeat quin æterna cum Chriſto fœlicitate in cœlo fruatur.
Hi enim qui ſine ſpe humani auxilij morbis incurabilibus,
grauiſſimiſq; valitudinibꝰ laborant, ſurdi, muti, claudi, aridi,
cæciq;, vt primum eius mauſolęo ſe deuouerint auditum, lo-
quelam, inceſſum, viſum, priſtinamq; incolumitatem recupe
rant (quodq; longe admirabilius ac pene incredibilius eſt)
reuiuiſcūt mortui, aliaq; q̄tidie obſtupeſcenda fiūt miracula:
inter quæ illud prioribus ſęculis rariſſimū, noſtraq; ętate in-
auditum ſuperiori anno accidit. Nam quū dux Moſcorum
Baſilius Ruthenoꝝ erroribus implicitus maximo ſchiſmati-
corum ad circiter ſexaginta equitum millia comparato exer-
citu ex inſperato Lituaniæ fines aggreſſus eſſet, improuiſi
polonorū & lituanoꝝ duces q̄bus copijs hoſti occurrerent,
quū nullæ ſuppeditarent̄, qua militari manu freti reſiſterent,
quum longe abeſſet, penitus ignorabant. Charas tum coniu
ges, dulcia pignora, paternas ædes, oppida, prędiaq; iucun-
diſſima veluti amiſſa, Lituaniamq; omnem tanq̄ depopula-
tioni expoſitam deflere cœperūt. Nulla enim ſe, ſuaq; tutandi
ſpes ſupererat. Vna vel mors, vel morte crudelior miſeranda
captiuitas expectabat̄. Quid facerent: quorſum ſe verterent
tanto metu perculſi: Aegit genuina, magnanimaq; nobilitas,
qua clariſſimi duces illi pręditi ęrant, vt, etſi non modo vinci,
verum abſorberi ſe ab hoſte poſſe conſpicarent̄, hoſti tamen
non cederent, nec ſe in fugam darent: ſed collectis quos po-
tuere ad duo, vel circiter, millia ex domeſticis, vernaculiſq;,
& inquilinis fortes in bello perſiſterent. Enimuero vti pij, &

Chriſto deuoti proſpexerunt, quoniā deus noſter refugium, Pſ. xlv.
& virtus, adiutorq; in tribulationibus, ſi ex corde inuocaret̄,
ſibi in oportunitate deeſſe non poſſet, eamq; calamitatem, q̄
diuum Caſimirum innumeris coruſcantem miraculis (vt ſæ-
pius vna decreuerant) in ſanctoꝝ cathalogum ab apoſtolica
ſede referri pollicitam operam nō impenderant, eis accidiſſę
arbitrati ſunt. Quāobrem auxilium de alto ſupplices implo-
rarunt, ad ipſiuſq; beati Caſimiri ſuffragia confugientes vno
animo, vno ore ita precati ſunt. Diue Caſimire, quē tutelam
præcipuam generis noſtri, & huius patriæ patronū apud om-
nipotentem deū eſſe confidimus reſpice afflictionē, & mœ-
rorem hunc noſtrum: ne dominent̄ nobis inimici noſtri im-
mundi, ſchiſmatici, & a vero ſanctę matris eccleſię ritu, ac gre
mio alieni. Tu ſpes noſtra: tu pręſidiū noſtrū. Miſerere igit̄
patriæ opem tuā implorantis: in qua & natus, & educatus es.
Miſerere gentis: ex qua originem ducis: & quā tuis ſanctiſſi-
mis oſſibus, ac reliquijs nitidiſſimis cōdonaſti. Neu deſeras
nos omni humana ſpe, omni ſolatio deſtitutos. Potens em̄ es:
per quē tot, tantaq; quotidie mirabilia operatur altiſſimus.
Et ſi iuxta fidem obſeruantiāq; ſummā, quā erga te gerimus
votis tuoꝝ faueris: vt pro chriſtianæ religionis ſplendore, &
tuæ nationis exaltatione te in ſanctos referat pontifex maxi-
mus omni ſtudio laborabimus, & iure efficiemus. His dictis
quidā ſenſibilis animi vigor, quædā mentis alacritas ita eos
diuinitus cępit: vt q̄q; ſupra ſexaginta millia equeſtriū nume
rum moſcos excedere ab ſcytis exploratoribus didiciſſent,
ex apriciſq; locis quibus ijdem inſederant moſci, & caſtrame-
tati erant ita eſſe procul appareret & cerneret̄, duoq; tantum

hominum millia (vt diximus) lituani principes vna conflare
tunc potuissent, nil tamen veriti in hostes insilire statuerint.
Deo igitur, & diui Casimiri patrocinio fisi animo volutantes
Ps. ix dauidicum illud: quia hi in curribus, & hi in equis: nos autẽ
in nomine dei nostri inuocabimus, vno animo, & vno im-
petu in moscos, quo vna cõfligerent prorupere. (Res mira)
tantus pauor, tantus deniq̧ tremor, & horror eas moscorum
numerosas & cataphrattas equitũ copias inuasit: vt ac si in-
numerabilem, validissimũq̧ exercitũ post terga irruentẽ for-
midarent sese in fugam præcipites conuerterint. Eos vero fi-
dei lorica armati lituani insequunt̃, trucidant, spoliant, capti-
Deu. 32 uant. Adimpletumq̧ est illud Deutoronomij: Persequebat̃
vnus mille: & duo fugabant decem millia: quia dñs deus ven
didit eos, & dñs conclusit illos. Atquũ hoc admirandũ sit (vt
pote non casu aliquo, sed diuinitus factum) longe tamen mi-
rabilius est, ꝙ plurimis moscoꝝ a lituanoꝝ cuneo admodum
paruo: vt diximus: parta optima prȩda fusis, desyderatis, ac
in captiuitatem ductis vix vnus ex lituanis aut captus, aut in-
teremptus est. Ostendit enim seruator & deus noster Chri-
stus quod suis tyronibus in euangelio pollicitus erat stabili
Lu. xxi. veritate fulciri: ꝙ nec capillus de eoꝝ capite periret. Diuino
igitur hoc beneficio perciti Lituaniæ duces, ac domini, Sere-
nissimũ Poloniæ Regem Sigismundũ diuo quidẽ Casimiro
germanum superstitem: qui & ipsoꝝ magnus dux est: enixe
deprecati sunt: vt apud sanctam apostolicam sedem, quo idẽ
Casimirus sanctorum confessorum numero absq̧ prolixiori
mora adscriberet̃ intercederet, instaret. Quod & dũ crebris
epistolis, ac insignibus oratoribus Rex ille religiosissimus ab

beatissimo Leone decimo pontifice maximo impetrasset,
seruantissimis patribus Ioanni archipræsuli gnezneñ Polo-
niæ primati, ac legato nato, necnõ Petro tunc premisliẽñ, nũc
vero posnanieñ pontifici, Regniq̧ Poloniæ vicecancellario,
postremo vero nobis in Poloniam & Prussiam ad eundẽ re-
gem mandato apostolico ex vrbe proficiscentibus ad ipsius
diui Casimiri gesta ac miracula pergrenda inter cȩtera ardua
negocia prouincia est demandata. Id vero muneris omni fi-
deli opera, & sedulitate exqsitissima ita obiuimus, atq̧ exegi-
mus: vt inter innumera pene miracula quæ iureiurando ad-
hibito illi nobis recensuere: qui & interfuerunt, & conspexe-
runt, manibus contrectauere, ac in semetipsos experti sunt,
quosue nobiliores ex alijs & fide digniores ad testimonium
perhibendũ delegimus ea tantũ omissis superfluis, quæ sin-
gularia, & ad eius sanctitudinẽ probandã sufficere visa sunt
descripserimus, annotauerimus. Hunc autẽ modum, hanc se-
riem obseruauimus. Postq̧ apud eundem inclytum Regem,
apud magnũ Prussiæ magistrũ ex brandeburgensibus mar-
chionibus illustrem Albertum inuicem dissidentes, grauiq̧
bello decertantes recõciliandi eos gratia semestri laborasse-
mus, ambobusq̧ in amicitiam pene adductis postrema pen-
deret, & in longum tempus traheretur pacis conditio, itinere
in Lituaniam autumni ingressu iam accõmodo: vt iussu san-
ctissimi Pontificis Romani eousq̧ in Vilnam ꝓficisceremur:
sepulchrum diui Casimiri ibidem inuiseremus, indeq̧ tanq̧
e pleno fonte eius & gesta, & miracula satius hauriremus
Rex ipse postulauit. Vilna vero ciuitas in vlteriorem Sarma-
tiam septemtrionalem sita ab Thorunio Prussiæ oppido, vbi

tũc agebamus quingentis millibus passuum distat. Patria
cœli rigiditate frigida, & horrida: in qua raro æstas aspicitur:
planicie, & syluis, stagnisq; ac paludibus vndequaq; vallata
est: nobilitate gentis clara, commeatu vario, & mercimonijs
quum ex germanico & sarmatico oceano, tum ex pontico
mari, Armeniaq;, Scythia (taurica Chersoneso potissimum)
Thracia insup. omniq; fere Grecia, & Mysia insignis, situ spa-
tiosa, vitis ignara, frugibus sterilis: sed robustioribus equis,
& exiguis illis animalibus, e quibus ad vestimentorũ ornatũ,
frigusq; cohibendũ preciosę pelles conficiunt sobolis, mar-
duribus, mustellisq; candidissimis, seu armellis (vt ab Arme-
nia vulgo dicunt) non parum affluens. Præterea & bisontis,
siue vri, onagri, vrsi, cerui, apriq; spectaculo, ac venationibus
ob nemorũ magnitudinẽ, & densitatẽ præcipua. Huc igitur
custodibus, & ducibus itineris nobis a rege adhibitis xi. idus
Augusti ex Thorunio per Amassobiam soluimus: dumq; au-
tumnale tẽpus, humidusq; & nubilosus aer ingentes pluuias
quotidie minarent, nusq̃ tamẽ nos imber iter facientes colle-
git: sed vel noctu, vel interdiu, postq̃ sub tectum in hospitia
nos receperamus cõfestim cadebat, ac si nubes quasi velamẽ
quoddam nos a solis ardore die ꝓtegere, & noctu nimbus
descendens harenosos pulueres: quibus iter illud infestum
redditur: ne oculos offenderent cœlesti beneficio cõpescere
viderentur. Quod diuinum munus ob eum, quem pro diui
Casimiri meritis indagandis lubentes laborem susceperat-
mus, nobis a deo optimo concessum admirabundi conspica-
bamur. Nam & quandoq; nobis iter habentibus fulgurante
vndiq; cœlo, & stridente ac boante tonitru, versaq; pene in

noctem die tanta vis aquarum ad duas ferme horas in aere
suspensa cernebatur: vt terram omnem sub alluuie illa pene
posse summergi credidisses: nobisq; tamen cur tantũ immo-
raret minitantis pluuię casus obstupescẽtibus, mox vt hospi-
tio appuleramus, equiue nostri, sarcinæ insup. & currus om-
nes sub tectum recepti erant, tantus pluuiæ cœlo ruentis re-
pente impetus inundabat: vt quasi nos, quousq; vna cũ rebus
nostris ab ea tuti ac liberi essemus expectasse videretur. Se-
mel quoq; dum in Amassobia diem assumptionis gloriosę
virginis & dei genitricis Mariæ totum ferme solennibus sa-
crificijs celebrassemus: iamq; affatim decidente pluuia: quæ
initio diei incœperat (nec desinebat) iter nostrum prosequi
statuissemus, quũ primum equos conscendimus nimbus ille
omnis serenitate restituta ita continuo sedatus est: ac si ad dei
benignitatẽ in seruo eius Casimiro nobis manifestius osten-
dendam momentum illud quo cessaret diuino iussu perpen-
disset. Semel tantum eo itinere, quod duobus & xx. diebus
ꝑfecimus (modicoq; tamen spatio) exilis quidẽ, & tenuis im-
ber instar roris nos vlla absq; molestia & dispendio vix atti-
git. Per syluarum igitur incultos aditus, desertaq;, ac palustria
sæpenumero loca iter agentes prima dominica die, iiij. nõ
septembres Vilnam seu Velliam (vtroq; enim nomine a duo-
bus fluminibus q̃bus abluitur dicta est) Christo auspice per-
uenimus. Mane ante nostrũ in ciuitatẽ ingressum pro nostra
& vrbis illius salute, ac fausto agendarũ rerum successu om-
nipotenti dño sacrificium obtulimus, de difficiliq;, & longo
itinere prospere acto ægimus gratias. Facto demũ prandio
tertia fere ante noctem hora seruantissimis patribus Ioanne

vilnensi, Ioanne Chiouieñ, & Iacobo caphensi pontificibus,
magistratibus quoq;, ac vniuerso clero, innumerabili deniq;
ex catholicis, & schismaticis populo obuiam venientibus ciui-
tatem intrauimus: ad diui Stanislai ædem, quæ primaria ibi
est, & pontificia, pereximus, psolutisq; deo gratijs, ac sacris
cerimonijs rite seruatis in hospitium honorificentissime de-
ducti, & suscepti sumus. Illud autē admirabile fuit, q̄ dum ci-
uitatem ipsam intraremus tantam aquarū inundantiam den
satis vndiq; nubibus obscurus aer minabatur: vt nulla ingru-
entis alluuiei periculum euadendi spes nobis supesse vide-
retur. Sacerdotes sacris induti vestibus (& his quidē precio-
sissimis) senatores, & optimates serico, gemmis, & auro cir-
cumamicti, populusq; innumerabilis cōcursus imbrem ma-
ximum metuentes cœlum arrecti suspiciebant. At omnipo-
ij. Co. j. tens pater, & deus totius consolationis, vt ostenderet sese in
finem vsq; operimēto alarum suarū nos benigne protegere
voluisse eum aquarū conatū, q̄ rarissimas demittens guttas
vi quasi velle irrumpere videbat̄, nec posse, ita suspensum re-
tinuit: vt admirātibus cunctis nusq̄ descendere valuerit, quo-
usq; sacris ædibus perlustratis, peractisq; supplicationibus ad
hospitium inde adducti essemus. Enimuero vt primū nos te-
ctum excepit tam crebra præcipitis pluuiæ celeritas secuta
est: vt eodem pene momento fuerit hospitij ingressus, & im-
brium descensus. Nec silendum esse putamus quod nobis
omni Lituania admirante diuinitus accidisse nemo ignorat.
Quum enim Lituania Sarmatię prouintia ex septemtrionali
plaga vbi sita est frigida adeo hyberno pręcipue tempore &
gelida existat: vt non modo homines extra domos diutius

immorantes aliquādo nasum extremitatesq; digitorū ex eo
rigore maximo amittant, & frequentissime ita congelent̄:
vt vitę cedere compellant̄: verum & ferę ipsę in syluis immo-
biles fiant, arboresq; ac tigna domorum crepent, ac a summo
deorsum vsq; sæpenumero proscindantur: eo tamen tem-
pore hyberno Decembre & Ianuario, quibus ibi eramus, &
maior hyemis rigor sęuit, ac crudescit: quod nos mirum im-
modum verebamur: tanta temperies pręter & temporis &
regionis naturam supra etiam omniū hominū memoriam &
existimationē fuit: vt deus omnipotens tunc nobis italis, qui
romanę temperiei assueueramus, & q̄ leui huius patrię fri-
gore lędi facile poteramus circa merita & miracula serui sui
Casimiri inquirēda laborantibus fauisse, auxiliumq; de alto
misisse proculdubio dinosceretur. Omnes enim lituani illam
temperiem & clęmentiam aeris nunq̄ olim ibi aut visam, aut
auditam nos ex vrbe Roma attulisse passim asseuerabant.
Quid maius q̄ quod in nocte illa fęlicissima natiuitatis do-
mini nostri Iesu christi nobis euenit? Quū enim vniuersum
clerū & populū vilneñ ea nocte in oratiōibus & diuinis lau-
dibus vna nobiscū vigilare per diuini verbi pręcones hortati
essemus: quo lumen suum indeficiens in tam ardua re nobis
cōcedere summus author dignaret̄, omnesq; lubētissimo ani
mo id suscepissent, ac nobiscū integra nocte, maneq; vsq; ad
meridiē ad varias pgentes ecclesias vbi nos ter solēni ritu sa-
crificauimus, ac ter intra sacrificādi solennia de erroribus ru-
thenorū sermonē ad clerū & populū habuimus excubassent
ac laborassent, vix tamen nocte vix mane ipso, quo intentissi-
mum gelu esse semp̄ cōsueuit omnibus obstupescētibus fri-

goris aliqd sensimus, aut hyemem esse credidimus: quanq;
laboris non parũ accepimus. Hic vero libeat paulisper fessos
quiescere, ipsiusq; Casimiri apud supremũ conditorẽ gloriã
& cœlsitudinẽ non iam verbis intexere: sed animo voluere,
speculari, contemplari, admirari: qui natalium splendore cla-
rissimus: qui diuitiarũ potentieq; magnitudine præcellens,
virentis adolescentię decore floridus, venustate corporis, &
mentis sublimitate insignis, bonarũ artiũ eruditione conspi-
cuus, prouidentia, ac probitate, omnibusq; virtutibus orna-
tissimus breuem hanc, caducam, & incertam vitam flocipen-
dere nouit: inanem mundi gloriã contempsit: æternã in cœlo
affectauit, ad veramq; fœlicitatem cõsultius anhelauit: pere-
grinationẽ hanc cum patria: naufragiũ hoc cum portu: labo-
rem hunc cũ quiete: mœrorem hunc cũ gaudio, mortalemq;
hanc conditionem cum immortalitate cõmutauit. Addiscant
eius exemplo & reges, & principes labili huius sęculi & mo-
Colo.iij mentaneo culmini non fidere: sed quæ sursum sunt sapere.
Ps.38 Addiscant diuites & potẽtiores terrenas opes, quas cui con-
gregaturi sint ignorant, despicere, indeficiẽtesq; in cœlo ada-
mare. Agnoscant adolescentiores & formosiores, quoniam
Esa.44 omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius tanq̃ flos agri: quod
Math.6 hodie est, & cras in clibanũ mittitur, & veram immortalitatis,
æternitatisq; pulchritudinẽ concupiscant. Habeant & eruditi
iuuenes quẽ imitentur: vt bonas artes non ad cassam osten-
tationem seu vanitatẽ: sed ad Christi obsequiũ adipiscantur.
Gaudeat inclyta & speciosa Italia: ex qua & Litalianica, & lit-
uanica excœlsa nobilitas vnde Casimirus oriundus est, pri-
mœuam accepit originẽ. Lętetũ ampla & spatiosa Sarmatia:

quæ omni gelu, omni algore deuicto, omni sui sterilitate su-
perata formosissimã, fœlicissimamq; arborem hanc vitæ, sua-
uissimũ fructum hunc honoris, & honestatis produxit. Exul-
tet sancta & pia mater ecclesia: quæ illum & filiũ in Chri-
sto edidit in lucẽ, & sui strenuũ militẽ celeriori palma e duro
vitæ huius certamine triumphatorẽ in cęlum transmisit. Præ-
clara glorietur Polonia, ex cuius religiosissimis regibus: ex-
cęlsa gratuletur Lituania ex cuius magnificentissimis deri-
uat ducibus. Exultet præcipue Vilna insignis ciuitas, quæ illa
eius ossa candidissima, illas eius dulces exuuias, reliquiasq;
sanctissimas in pignus seruat futurę immortalitatis & glorię.
Iubilent omnes christianorũ ecclesiæ, pia templa diuinis reso-
nent præconijs: hinc carmina, inde chorus & organa modu-
lentur. Solennibus sacris aras cumulent sacerdotes. Phana
supplices adeant, deum colant, & venerentũ, primores patres,
reges terrę, & omnes populi, principes, & quicunq; iudices Psal.cl.
terrę, iuuenes & virgines, lactentes cũ homine sene. Casimi- Deu.32
rus enim de carnis ergastulo cœli amplitudinẽ est ingressus,
de morte transiuit ad vitam, de profunda lachrymarum valle
ad excęlsa, & sempiterna gaudia trãsiliuit. Quoniã vero nos,
& e nostris plęriq; domesticis fauorem illius & beneficia ex-
perti sumus, epithaphium heroicũ, & canonicas horas, siue
ecclesiasticas laudes, hymnosq;, ac sacrificãdi seriem in euen-
tum eius in sanctos relationis: quã ab sanctissimo dño nostro
Leone decimo pontifice maximo clęmentissimo, illaq; sancta
Romana ecclesia iure æque futurã esse speramus, edidimus,
ac pro diuinis ab eo susceptis muneribus voto supplices ob-
tulimus. Miracula deniq; eius a nobis studiosissime cõperta

meritaq̃ sanctissima, & testiũ ac contestiũ dicta alio volumine copiose & fideliter longa serie describuntur. Regnante atq̃ impante domino nostro Iesu Christo: qui est benedictus in sæcula Amen. Datũ Vilnę. xi. kaleñ decembres anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo: eiusdẽ vero sanctissimi dñi nostri Leonis diuina ꝓuidentia papę. X. Anno octauo.

EPITHAPHIVM SEPVLCHRO.

Regia progenies iacet hic Casimirus auito
Stemmate, & excelso virtutũ culmine clarus.
Ille deo spretis opibus, rebusq̃ caducis
Se dedit, & gaudet semper victurus olympo.
Cessit ab humanis in primo flore iuuentæ.
Quisquis ab aduersa premitur valitudine mox vt
Vota dedit tumulo morbo sanatur ab omni.

ZACHARIAS dei & apostolicę sedis gratia episcopus Gardieñ Sanctissimi in Christo patris & dñi nostri dñi Leonis diuina prouidentia papę decimi prælatus domesticus, & referendarius secretus, ac per vniuersum regnũ Polonię, & magnum ducatum Lituanię, ac Moscouię, omnesq̃ & singulas terras mediate & immediate, vel als quomodolibet eisdem regno & ducatibus subiectas cũ omnimoda legati de latere & maioris pęnitentiarij de vrbe potestate nuncius & orator christicolis vniuersis salutem, & fœlicitatẽ, ac in die festo diui Casimiri confessoris iuxta ritum ecclesiarũ Sarmatię diuini cultus seriem.

IN PRIMIS VESPERIS ANTIPHONE.

Ps. cxij. A solis ortu vsq̃ ad occasum laudabile nomen domini in seruo suo Casimiro: qui tot tantisq̃ coruscat miraculis.

Psalmus. Laudate pueri.

Collaudate dominũ omnes populi: qui Sarmatiam in extremis terrę finibus sitam suæ non destituit lumine veritatis. Ps. cxvj

Psalmus. Laudate dñm omnes gentes.

Aedificat Hierusalem dominus suscipiens mansuetos, & humilians peccatores vsq̃ ad terram. Ps. cxlvj

Psalmus. Laudate dñm quoniã bonus est psalmus.

Beatus cuius deus Iacob adiutor eius, & spes eius in domino deo est: qui erigit elisos, & dirigit iustos. Ps. cxlv

Psalmus. Lauda anima mea dominum.

Confortauit seras portarũ tuarũ o Hierusalem dominus: qui benedixit hodie filio tuo Casimiro in te. Ps cxlvij

Psalmus. Lauda Hierusalem dominũ.

Capitulum.

Beatus diues qui inuentus est sine macula, & q post aurũ nõ abijt, nec sperauit in pecunię thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Eccl. 31

Responsorium.

Erat regius & pius adolescens Casimirus moribus ornatus angelicis, venustus facie: sed pulchrior religione diuina: quẽ florida ætate conspicuũ dominus ad supernas agni nuptias ab huius sæculi incolatu euocauit.

Versus.

Consumatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat deo anima illius: quem florida. etc. Gloria patri: Quem. Sapi. iiij

HYMNVS SAPPHICVS.

L AETA iucundo resonare cantu
Si decens vnq̃ fuit ora, nunc est:
Quum tuus viuit generosus heros
Sarmata cœlo.
R oma, quæ sancto numero aggregabis
Iure perspectæ probitatis illum
Plaudito: cuius decor ampliatur
Frigida ab arcto.

aggregasti: quũ in sanctos relatus erit. popnas.

T erra, quæ brumam patitur rigentem,
Et caret phœbi radio calente
Sentit accensum boream superni
Sydere amoris.
N empe, cui clarum genus, & propago
Regia, exurgens Casimirus ignem,
Quo calet frigens aquilo ministrat
Aethere ab alto.
I gnis est virtus animosa: per quam
Mens in authorem calefacta summum
Nil nisi mundam cupit, & beatam
Degere vitam.
I lle vix primam tetigit iuuentam,
Quum voluptates renuit caducas,
Et deum cœpit studiosus omni
Quærere nixu.
E st deo patri, genitoq; dulci,
Ac paracleto imperium perenne:
Qui sub æterna paritate, & vno
Numine regnant. Amen.

Versus. Amauit eum dominus & ornauit eum. Eccle. xv
Respon. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Fecit magna q potens est in strenuo milite suo Casimiro dñs Lu. j.
dispergens superbos spiritus, & exaltans humiles homines.

Oratio.

DEVS qui per excœlsa beati Casimiri cõfessoris tui merita senescentem mundũ subleuare dignatus es, quæsumus: vt omnes q eius suffragia expetunt illa se impetrasse lætentur. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

In nocturnis laudibus Inuitatoriũ.

Regem regum Christum, qui beatum hodie in cœlum subli- Ps. xciiij
mauit Casimirũ: Venite adoremus.

Psal. Venite exul. dño. Ps. l.

HYMNVS SAPPHICVS.

N ox silens horas tribuit quietas
Carmini, & sacræ modulationi.
Ergo cantetur Casimirus amplo
Stemmate cretus.
R egij quãq̃ fuerint parentes:
Inclytum culmen tamen e supremis
Antea longe ducibus recepit
Litalianis.
N amq; vulgari serie loquendi
Qui petiuerunt ea tecta clari
Nomen heroes itali dedere
Gentibus illis.
E t licet quisq̃ a litui frequentis

C

More contendat Lituaniamq;
Stare, nil obstat: pia gens, & alta
Sanguine Romę est.
Hinc ortus quondam Casimirus, vltro
Fascibus spretis opibusq; auitis
Clausit excœlsis meritis, & almo
Funere vitam.
Præcocem mortem intrepidus subire
Maluit, q̃ se maculare luxu:
Vnde victricem meruit referre
Aethere palmam.
Est deo patri, genitoq; dulci,
Ac paracleto imperium perenne:
Qui sub æterna paritate, & vno
Numine regnant. Amen

IN PRIMO NOCTVRNO ANTIPHONAE.

Ps. j. Tanq̃ lignum plantatum secus decursus aquarum fructum attulit in tempore suo, & folium eius non defluet.

Psalmus. Beatus vir qui non abijt.

Ps. ij. Nunc reges intelligite, erudimini q iudicatis terram regium adolescentem Casimirum & principem inseruisse domino in timore, & exultasse ei cum tremore.

Psalmus. Quare fremuerunt gentes.

Ps. iij. Dormiuit, & soporatus est, & exurget: qa dñs suscipiet eum.

Psalmus. Domine qd multiplicati sunt.

Eccle. xv Versus. Amauit eum dominus & ornauit eum:
Respon: Stolam glorię induit eum.

¶ Lectiones diuidantur ex vita, & gestis eius.

Responsorium primum.

Pius adolescens Casimirus inter fratres suos, ac si inter gemmas carbunculus quidam diuino amore afflatus, ciuitatem hic permanentem se non habere conspicatus futuram quæsiuit non manu factam in cœlo. Versus.
Præterit enim figura mundi huius. Futuram quæsiuit. j. Co. vij.

Responsorium secundum.

Inter diuites diues, ac potentes principes & ipse princeps transgredi potuit, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Versus. Inuentus enim est sine macula, & post aurũ nõ abijt, nec sperauit in pecunię thesauris. Transgredi potuit Ec. xxxi.

Responsorium tertium.

Pueritiam ipsam & adolescentiã virtutibus omnibus, ingenuarumq; artium disciplinis ita exegit: vt semper & ętate, & sapientia cresceret, ac spiritus domini esset in illo. Lu. ij.
Versus. Quum esset iunior, nihil tamen puerile gessit in opere. Vt semper & ætate. Gloria patri: Ac spiritus domini. Tobie. j.

IN SECVNDO NOCTVRNO.

Ps. iiij. Mirificauit dominus sanctum suũ: per quẽ tot nobis ostendit mirabilia. Psalmus. Quum inuocarem.

Ps. v. Introiuit in domũ tuam domine: adorauit ad templum sanctum tuum in timore tuo. Psalmus. Verba mea.

Ps. viij. Admirabile est nomen tuum in seruo tuo Casimiro domine: quem gloria & honore coronasti hodie.

Psalmus. Domine dominus noster.

Ps. xxxvi. Versus. Os iusti meditabitur sapientiam:
Respon. Et lingua eius loquetur iudicium.

Responsorium quartum.

Lecti molliciem tanq̄ peccandi fomentū quantū cautius poterat furtim effugiens super nudam humum sæpenumero quiescebat. Versus. Post solis occubitū Iacob tulit lapides,
Ge.xxviij & supponens capiti suo dormiuit. Super nudā.etc̄.vt supra.

Responsorium quintum.

Quāuis innocens & omnis pene peccati expers haberetur tanto tamen cōpunctionis ardore afficiebatur: vt omnis eius vita nil aliud q̄ pœnitentia esset. Versus.
Ps̄.vj. Lauabat per singulas noctes lectum suum, & lachrymis stratum suum rigabat: Vt omnis eius.etc̄.

Responsorium sextum.

Consueuerat silentis noctis medio sancta loca, & sacras ædes nullo aliquando comitatus homine clam visere, & in orationibus frequentissime pernoctabat. Versus.
Ps̄.cxviij Media nocte surgebat ad confitendū dn̄o sup iudicia iusticiæ eius: Et in orationibus etc̄: Gloria patri. Et in orationibus.

IN TERTIO NOCTVRNO.

Ps̄ xiiij. Operatus est iusticiam, & ingressus est sine macula tabernaculum tuum domine, ac requiescit in monte sancto tuo.

Psalmus. Domine quis habitabit.

Lætificasti eum dn̄e in gaudio cum vultu tuo, & desyderium
Ps̄.xx. cordis sui tribuisti ei. Psalmus. Domine in virtute tua.
Ps̄.xxiij. Innocens manibus, & mundo corde non accepit in vanū animam suam. Psalmus. Domini est terra.
Ps̄.xxxvj Versus. Lex dei eius in corde ipsius:
Respon. Et non supplantabunt gressus eius.

Euangelium.

Lu.xij. Sint lumbi vestri præcincti: cum sua omilia.

Responsorium septimum.

Charitas tam diffusa erat in corde eius, tam exundabat exterius in proximū: vt nihil sibi iucundius esset, q̄ cum propria erogabat: et seipsum Christi pauperibus largiebatur. Ro.v.
Versus. Esurientes alebat, nudisq̄ vestimenta præbebat. Tob.j.

Responsorium octauum. (Et seipsum.etc̄.

Quanq̄ regis filius, & sanguinis magnitudine sublimis esset, nulli tamen quantūuis humili & infimo homini tam cōuersando, q̄ loquendo se difficilem exhibebat. Versus.
Quanto maior es humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam. Nulli tamen. Eccl.iij.

Responsoriū nonum.

Quum aduersa valitudine ad mortem vsq̄ laboraret, eiusq̄ saluti nil aliud q̄ puellæ complexibus succurri posse medici iudicassent, elegit potius mori q̄ fœdari. Versus.
Angustię mihi sunt vndiq̄, & qd eligam ignoro: Sed melius mihi est mori q̄ derelinquere legem dei mei. Elegit potius: Gloria patri: Elegit potius.etc. Dani.xiij.

AD LAVDES.

Mirabilis in altis dn̄s: cuius testimonia credibilia facta sunt nimis in suo cōfessore Casimiro. Psal. Dn̄s regnauit deco. Ps̄.xcij.
Introite in conspectu domini in exultatione hodie, & scitote quoniā dominus ipse est deus: qui tot mirabilia per seruum suum operatur. Psalmus. Iubilate deo. Ps̄.xcix.
Memor fuit tui domine sup stratum suum: in matutinis meditabatur in te: quia fuisti adiutor meus, & in velamento alarum tuarum sperauit. Psalmus. Deus deus meus. Ps̄.lxij.
Benedicite spiritus & animę iustorū, benedicite sancti & hu- Dani.iij.

miles corde domino. Canticum. Benedicite.

Ps.cl. Exultabunt sancti in gloria: lætabunt in cubilibus suis: exultationes dei in gutture eorum.

Psalmus. Laudate dominum de celis.

Capitulum. Beatus diues qui inuentus est sine macula etc.

HYMNVS SAPPHICVS.

Surgit aurorę nitor, & latentem
Delium sensim manifestat: vt tu
Carne deposita Casimire cœlsum
Scandis olympum.

Concrepent dulces cytharæ, & sonoræ
Fistulę æquatis vicibus: choraules
Carmen adiungant, italusq;, & omnis
Sarmata plaudat.

Omnis oblitus modo tu doloris
Magne vir cœlo frueris quieto,
Et supra mundum melioris auræ
Lumine gaudes.

Maior est longe tibi nunc corona,
Maior & sceptri tibi cœlsitudo,
Qꝫ supra terras dominando posses
Obtiuuisse.

Sic potens es tu patriam tueri
Nunc tuam: ne gens inimica fines
Eius inuadat, generiq; nostro
Insidietur.

Sic potens es tu resecare diras
Hæresum sectas: quibus inuoluta
Magna pars huius populi obligatur
Ignibus atris.

Pelle de nobis Casimire pestem
Hanc tuis ergo precibus trahendo
Ad pium Romæ gremium cateruas
Schismaticorum.

Est deo patri, genitoq; dulci,
Et paracleto imperium perenne:
Qui sub ęterna paritate, & vno
Numine regnant. Amen.

Versus. Iustum deduxit dominus per vias rectas. Sapi.x.

Respon. Et ostendit illi regnum dei.

Antiphona.

Visitauit nos oriens ex alto lumẽ: quo illuminãtur hi qui, in tenebris, & vmbra mortis sedent ad dirigendum pedes nostros in viam pacis. Lu.j. Canticum. Benedictus dñs deus.

Oratio. Deus qui per excelsa beati Casimiri. &c. vt supra.

Ad primam Antiphona.

In via testimoniorum tuorũ dñe delectatus est sicut in omnibus diuitijs. Ps. cxviij

Ad tertiam antiphona.

Leuauit manus suas ad mandata tua domine, quæ dilexit, & exercebatur in iustificationibus tuis. Ps. cxviij

Ad sextam Antiphona.

Dilexit mandata tua domine super aurum & topatium, & omnem viam iniquam odio habuit. Ps. cxviij

Ad nonam. Antiphona.

Cõcupiuit salutare tuum dñe, & lex tua meditatio eius fuit. Ps. cxviij
Viuet ideo anima eius & laudabit te: quoniã pax multa diligentibus nomen tuũ deus noster.

IN SECVNDIS VESPERIS ANTIPHONE.

Psal. cix. In sanctis, & electis hominibus dominus implebit ruinas rebellium spirituum: quorum capita in terra conquassauit.

Psalmus. Dixit dominus.

Magna opera domini in seruo suo Casimiro: per quę assidua prodigia ostendens memoriam facit mirabilium suorum.

Psalmus. Confitebor tibi dñe.

Ps. cxj. In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala nõ timebit.

Psalmus. Beatus vir qui timet dominũ.

Ps. cxij. In altis habitans dominus humilem respicit: vt collocet eum cum principibus populi sui. Psalmus. Laudate pueri dñm

Ps. cxvj Confirmata est super nos misericordia domini in sancto suo: in quo veritas eius manet in æternum.

Psalmus. Laudate dominum omnes gentes.

Capitulum. Beatus diues, vt supra in primis vesperis.

HYMNVS SAPPHICVS.

Nox redit terris abeunte phœbo,
Et tuis mandat Casimire finem
Laudibus poni modo (nanque fessa
Carmine lingua est)

Mira quæ fiunt hodie frequenter
E tuis membris referunt patenter
Qualibus pręstas meritis, & alto
Culmine cœlo.

Si tuum nomen petat, & iuuamen
Redditur langnens sine spe, saluti:
Claudus incedit, videt impetrato
Lumine cœcus.

Surdus auditum recipit: loquelam
Mutus: arreptus styge liberatur:
Mortui vitæ (noua res, & ingens)
Restituuntur.

Sic suam Christus dedit esse notam
Sarmatis per te dominationem:
Qua polo, & terrę, residique auerno
Imperat omni.

Est deo patri, genitoque dulci,
Et paracleto imperium perenne:
Qui sub æterna paritate: & vno
Numine regnant. Amen.

Versus. Iustum deduxit dominus per vias rectas: Sapi. x.

Respon. Et ostendit illi regnum dei.

Antiphona.

Gaudeant omnes christianorũ ecclesię: pia templa diuinis resonent præconijs. Hodie Casimirus de carnis ergastulo cœli amplitudinē est ingressus. Hodie de morte transiuit ad vitam. Exultet spiritus noster in deo salutari nostro. Lu. j.

Canticum. Magnificat.

Oratio. Deus qui per excęlsa beati Casimiri etc̄. vt supra.

MISSA DIVI CASIMIRI CONFESSORIS. INTROITVS.

IN MEMORIA æterna erit iustus: ab auditiõe mala non timebit: Confirmatũ est cor eius, nõ cõmouebit in æternũ. Ps. cxj.

Psalmus.

Beatus vir qui timet dominũ in mandatis eius cupit nimis.

Gloria patri. In memoria æterna erit iustus. etc̄.

ORATIO.

Deus qui per excelsa beati Casimiri confessoris tui merita senescentem mundum subleuare dignatus es quęsumus: vt omnes q̄ eius suffragia expetunt illa se impetrasse lętentur, per dominū nostrum. etc̄.

Lectio libri sapientię.

Sapi. iiij. Iustus si morte pręoccupatus fuerit in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neq̄ numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ętas senectutis vita immaculata. Placens deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores trāslatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Consumatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat deo anima illius. Propter hoc properauit illum educere dn̄s de medio iniquitatū: quoniā gratia dei, & misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos illius.

Graduale.

Ps̄. xx. Desyderinm animę eius tribuisti ei dn̄e, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Vitam petijt a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sęculi.

Versus.

Posuisti domine super caput eius coronā de lapide precioso.

¶Quia hic dies festus semper erit in quadragesima.

Tractus.

Ps̄. j. Beatus vir qui in lege domini meditabitur die ac nocte. Erit tanq̄ lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius nō defluet, & omnia quęcunq̄ faciet prosperabuntur.

METRVM IAMBICVM.

D AT Casimiri lucida
Dies cupita gaudia
Et italis, & sarmatis,
Accępit vnde originem.
D e regiæ propaginis
Decorus almo stemmatę
Fluentis huius sæculi
Derisit ille gloriam.
I lli iuuenta florida
Erat, potestas maxima,
Et carnis impudentiam
Viriliter compescuit.
E rant opes amplissimæ:
Erat facultas plurima:
Auri tamen peculia,
Cupidinemq̄ respuit.
V enustus ille corpore
Fuit, loquela, gestibus:
Sed inclytis virtutibus
Fide, spe, amore pulchrior.
N octu latenter excubans,
Orationi sedulus
Erat, deoq̄ deditus
Colebat alta sydera.
A micus ille pauperum,
Et orphanorum gaudium,
Solatium gementium,
Portus periclitantium.

Mori magis, ꝙ̄ transgredi
Pudicitatis limitem
Delegit, vnde cælibem
Palmam recepit æthere.
Tu puritatis lilium
Supra nitores syderum
O Casimire splendide
Tuæ memento patriæ.
Tuum genus defendito
Contra furores bellicos,
Contra scytas, & impias
Sectas, & atra schismata.
Amen.

Euangelium secundum Lucam. C. XII.

In illo tēpore dixit Iesus discipulis suis. Sint lumbi vestri pręcincti, & lucernę ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominū suum quando reuertatur a nuptijs: vt cum venerit & pulsauerit confestim aperiant ei. Beati serui illi: quos cū venerit dn̄s eius, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, ꝙ pręcinget se, & faciet illos discūbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secūda vigilia, & si in tercia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autē scitote: quoniā si sciret pater familias qua hora fur veniret vigilaret vtiqꝫ, & nō sineret ꝑfodi domū suam. Ideo & vos estote parati: quia qua hora nō putatis filius hominis veniet.

Offertorium.

Ps. xci Iustus germinabit sicut lilium & florebit in ęternū ante dn̄m.

Secreta.

Tibi dn̄e (supplices deprecamur) accepta sint munera: quę in festiuitate beati Casimiri confessoris tui offerimus in memoriam passionis filij tui dn̄i nostri Iesu Christi: qui tecū viuit.

Communio.

Beatus ille seruus: quē cum venerit dn̄s inuenerit vigilantē. Lu. xij.
Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Da quęsumus omnipotens deus: vt sacris epulis refecti intercedente beato Casimiro cōfessore tuo ad illud quod præferunt æternitatis conuiuiū ꝑtingere valeamus: per dn̄m. etc.

Datū Vilnę. XI. Caleñ. decembres Anno salutis M.D.XX Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri dn̄i Leonis diuina ꝓuidentia papę decimi Anno octauo.

Processus mandati apostolici, intimationes, citationes, monitiones, tractatus, sermonesqꝫ habiti ad clerum & populum, ieiunia, supplicatiōes, ordoqꝫ & solennitas seruata ab eodem Reuerendissimo dn̄o Legato in pergrendis gestis & miraculis beati Casimiri: interrogatoriaquoqꝫ, ac responsa & dicta testiū, & cōtestium, eorū insuꝑ promulgatiōes, terminiqꝫ ad opponendum pręfixi, & inquisitionis conclusio alio volumine longo schemate scripta sunt, & eiusdem Reuerēdissimi Legati sigillo clausa, & obsignata: quousqꝫ per beatissimū, & sanctissimū dn̄m nostrū Pontificem maximū aperiantur.



Psal. cxviij. Faciem tuã illumina super seruũ tuũ dñe & doce me iusti. tuas.

ORATIO REVERENDISS. PATRIS ZACHARIAE FERRERII VICENTINI PONTIFICIS GARDIENSIS IN POLONIAM ET LITVANIAM LEGATI APOSTOLICI HABITA THORVNII IN PRVSSIA AD SERENISSIMVM POLONIAE REGEM SIGISMVNDVM PRO EODEM REGE ET MAGNO PRVSSIAE MAGISTRO APOSTOLICA AVTHORITATE INVICEM RECONCILIANDIS.

DVM IPSE COGITO & mecũ animo voluo Sigismunde Rex amplissime quem modo principem allocuturus sum propono mihi sublimiũ tuarũ virtutum fastigia, excelsas dotes: quibus omnipotens rerum author prę varijs principibus te excellentius insigniuit. Pono ante oculos hanc tuam pene diuinam maiestatem, formamq; prętantissimã, magnitudinem animi tui: consilij grauitatem: rerũ experientiam: amplitudinẽ: munificentiã: iustitię cultum: prouidentiã in te summam: religionem maximam: quæ passim circumferunt, & circũquaq; prędicant. Recenseo quoq; vetustissimã illam sanctissimamq; familiam tuam Casimiram, quæ veluti quoddam singulare, pręcipuumq; munus ab summo opifice, mortalibus concessa est: quo fit vt clarissimũ conspectum tuum: regiamq; pręsentiam non modo non magnopere speculari, verum etiam nõ satis admirari possim. Non minus etiã mecum pensito quo dicendi genere te alloquar, an illa rhetorices facundia: quę sensum auresq; demulcet, an illa oratoriæ virtute, quæ mentem potius animumq; oblectat, excitat, &

impellit. Videorqꝫ mihi, ꝙ non tantum christianam religionẽ,
sed & apostolicam perfectionem, vt pontifex, profiteor satius
imitari vas illud electionis beatissimũ apostolum: qui ad Co-
j. Corin. ij rinthios scribens aiebat: Veni ad vos non in sublimitate ser-
monis, neqꝫ in persuasibilibus humanę sapientię verbis: sed
in virtute dei & spiritu. Habeant humanę sectatores elo-
quentię quos imitentur Demosthenem: Ciceronem: Salu-
stium. Habeo ego sacerdos Christum: habeo diuos aposto-
los: habeo sacros ecclesię doctores, & mei ordinis pontifices
celebratissimos. Loquar ergo non vt rhetor: sed vti pontifi-
cem decet, vti decet sacerdotẽ, vti decet dei ministrũ. Non la-
tet tuã maiestatẽ Rex potentissime, exploratũqꝫ omnibus est
septimum actum esse annum: quo iactatis dudum inter chri
stianos principes dissidijs tota ferme Europa attrocissimis
bellis vehementissime cõcutiebatur, & æstuabat. Feruebat
Italia: ardebat Germania: flagrabat Hispania: Gallia fluctua-
bat: Anglia excandescebat: vnde & (quod fari doleo) tanta
christiani sanguinis effusio secuta est: vt recte dauidicũ illud
Ps. 88 memorari posset: Effuderunt sanguinem eorũ, tanꝙ aquam
in circuitu Hierusalem, idest militantis ecclesię, & non erat ꝙ
sepeliret. Aeterna dei sapientia: quę iuxta sacrum eloquium,
Sapi. viij attingens a fine vsqꝫ ad finem fortiter disponit demũ omnia
suauiter, non ꝑmittensqꝫ iuxta eundẽ apostolum, nos tentari
j. Corin. x supra id quod sufferre possumus, facit cũ tentatione prouen-
tum, vt possimus sustinere, cupiens tot cladibus, tot calami-
tatibus christianorum benigne occurrere Ioannẽ Medicem
Leonem decimum appellatum, non labe aliqua: non vi: non
arte: non astu: non humano ingenio: sed sola sancti spiritus

gratia ad summũ pontificatus apicem de tot millibus homi-
num, vnum delegit: ꝙ veluti angelus pacis, fluctuantẽ eccle-
siam, & christi cymbam pacaret: velutiqꝫ salutaris medicus
languescenti diu christianę reipublicę opportunum medica-
men adhiberet. Quod & beatissimus antistes inito mox pon
tificatu, omni studio, omni solertia, omni sagacitate efficere
curauit (& effecit quidem). Tercius annus nunc agitur, quo
Selinus turcarũ imperator, & christiani nominis acerrimus
hostis quasi gladius quidam ceruicibus christianoꝝ immi-
nere videbatᷣ. Animaduertens sanctissimus pontifex ad tan-
tum exitium cõpescendum, nullum efficacius superesse re-
medium: ꝙ̃ diuinum imprimis pręsidium implorare sanctissi
mas ad cęlum tollens manus ieiunia, ad deumqꝫ optimũ ma-
ximum supplicatiões pontificibus, sacerdotibus, senatui, po-
puloqꝫ Ro. pręcepit: easqꝫ deprecationes, quas gręco voca-
bulo litanias appellant frequentari mandauit: inter quas ip-
semet nudis etiam pedibus per almam vrbem incedere non
est dedignatus. Et ne humanã quoqꝫ operam paruipendere
videretur, cõplures quũ pontificij, tum cardinei ordinis pa-
tres celeberrimos ad varios christianoꝝ principes, ad varias
nationes oppido expediuit: quo si quas inter eos simultates
forte exoriri metuebatur ad eas siue iure, siue armis deci-
dendas, quinquennale interuallum interponeretur, dilatoqꝫ
omni bello cõmunes christianoꝝ vires, cõmunisqꝫ potentia
in cõmunem religionis hostem conciliatis animis conuerte-
rentur: necessarius ad id colligeretᷣ numus: generalisqꝫ con-
tra impium tyrannum expeditio: quã cruciatam nostri vo-
cant: vbilibet vulgaretᷣ: quod & pro sua maxima integritate

facile obtinuit,ſanctiōibuſq; & pręceptis apoſtolicis,ac inter-
Pſ.cxlvij minationibus eccleſiaſticis contra violatores ſtabiliuit,atq;
firmauit.Poſuit enim pacem fines eccleſię,& dulci illam tran-
quillitate potiri fecit.Iam pace fruitur Italia: Iam qeſcit Ger-
mania,Gallia,Hiſpania,Anglia,in totoq; chriſtianoꝝ ambitu
iucunda concordia arridet. Vnus ſupereſt de quo cum chri-
ſtiano principe congreſſus expaueſcebat (tu ſilicet Rex am-
pliſſime) quem quū ipſe Romanns pontifex ad eas intermit-
tendi belli quinquennales inducias capeſcendas crebris epi-
ſtolis dudū exhortari ac monere non deſtiterit noluit quoq;
prętermittere,quin & nuncijs,& oratoribus inuiſeret & ſalu
taret,ad idq; faciendum plurimū ſuaderet, hortaretur, & ad-
duceret: quod ita accurate mandauit: vt etiā nō ſine lachry-
mis pro boni paſtoris officio, quum digrederemur id nobis
Io.xiiij. creberrime repetierit. Pacem (aiebat, atq; iterabat ſanctiſſi-
mus antiſtes,quum poſtremū ad te accedendi ab eo manda-
tum habuiſſemus,ſacroſq; de more oſcularemur pedes) pa-
cem: quā chriſtus deus & legifer noſter nobis ſuo teſtamēto
legauit: chariſſimo filio noſtro Sigiſmundo Polonię Regi
illuſtri commiſſam facite:ad pacem cum chriſtiano principe
perquirendā noſtro iuſſu monete,& animate:vtq; illam quā
de ipſius comprobata religione hæc ſancta ſedes,cui pręſide-
mus,ſpem iamdudum concępit,nequaquā caſſam, irritamq;
efficere velit noſtro nomine dicitote. Sed quoniam interea
dum ad tuam maieſtatē noſter ab vrbe accingebat diſceſſus
ignaro pontifice ignaris nobis id quod verebamur euenit,ſi
primum ad illud quinquennale interuallum amplectendum
te enixe rogare oportebat,nūc quādoquidē malum irrepſit,

magiſq; ac magis quotidie inualeſcit non tantum enixe, non
modo enixius,verum etiam enixiſſime precari, ac ſupra hu-
manum modū interpellare neceſſe eſt. Diuus itaq; Leo pon
tifex maximus:qui dei,& domini noſtri Ieſu Criſti vices gerit
in terris:cui datę ſunt claues ſuper cœleſtris atrij, ac ſummæ
fœlicitatis: q aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit:
cuius pedibus omnia inferiora ſubiecit deus: cui Cęſares,
reges,& omnes populi, principes, & omēs iudices terrę ſup-
plicia colla ſummittunt a ſuo pontificio ſolio nos ad te prin-
ceps religioſiſſime delegauit,poſtq; paternos complexus,ac
æternam ſalutem te ſanctiſſimū fœliciſſimumq; optans:vt a
chriſtiani ſanguinis effuſione tuos milites abſtinere iubeas,
& eam quæ chriſtianū principem deceat concordiā ample-
ctaris poſtulat,efflagitat,monet,mandat,rogatq; (pro ſua be-
nignitate maxima) ac precatur. Nec propterea ab iuſtiſſimo
pontifice tibi forte perſuaſum arbitreris:vt honeſtum tui de-
corem,æquum cōmodum,ac tui regni iura poſtponas: quæ
ſicuti is qui tibi ſupra modum afficitur,augere potius ſua au-
thoritate decerneret: ſed vt eam quæ iuſto decori tuo: quæ
iuri regni tui:quę cōdignę idēnitati tuæ cōducat, ſiue pacem
ſiue tranſactionē cū hoſte ineas:quod & vt ille nō minus effi-
ciat omnem operam nauabit pontifex:noſq; pro credito no-
bis munere,ac virili noſtra nuſq̄ neglecturi ſumus. Sicuti enī
vt ſanctiſſimo principi noſtro, ac ſanctiſſimæ ſedi a qua le-
gati ſumus obtemperaremus, proq; cōmuni & vicaria inter
te & Albertum militaris ordinis ſanctæ Marię Theutonicoꝝ
magnum & generalem magiſtrū, ac marchionem brande-
burgenſem illuſtrem, chriſtianos principes, ſuper rebus

pruthenicis pace,ac concordia interponenda ,aduerſuſcꝫ re-
ligionis hoſtes adeundo certamine tuã adiremus ſublimita-
tem Romanæ vrbis ſanctitudinem,ſpiritualeſcꝫ delicias, ſtu-
diorum noſtroꝝ dulcedinẽ, amicorũ (quibus affluebamus)
iucunda cõmertia:quietem: patriam: agnatos: ipſacꝫ omnia
priuata cõmoda deſeruimus:hyberni tẽporis inclęmentiam:
itineris prolixitatem:viarũ difficultates,ac pericula:cœli rigi-
ditatem:ipſius quocꝫ nobis inſuetam borealis & ſarmaticæ
regionis aſperitatem, demũ iacturas omnes,omniacꝫ diſcri-
mina flocipendimus,ſic & dum cõmuni paci,cõmunicꝫ beni-
uolentię conſulatur,nequaq̃ defuturi ſumus,quin & (vt apo-
Ro.xij. ſtolicum illud imitemur) exhibebimus corpora noſtra,hoſtiã
uiuentem ſanctam,deo placentem,rationabile obſequiũ no-
ſtrum:quod & tanto magis a te faciundũ eſt: ꝙ cũ longe im-
pari certamen tibi ſit,& eo minus proculdubio ineundum,ꝙ
ille tibi e dulciſſima ſorore nepos exiſtat:a quo iniuriã vllam
armatus etiam agnoſcere vix debeas, ergacꝫ illum & ætate
& potentia tibi admodũ inferiorẽ,non modo vti auunculum,
ſed & veluti patrem , veluti tutorem, veluticꝫ ſtudioſiſſimũ
fautorem, teipſum Rex ſapientiſſime gerere potius deceat:
nec te fugiat adagium illud, glorioſius longe eſſe facere re-
ges,& principes q̃ ſubijcere. Enimuero quæ tibi gloria:quis
decor : quæ palma : ſi nepotem tu auunculus & pater, debi-
lioremcꝫ ſupra modũ opibus & potẽtia hoſtem tu princeps
potentiſſimus incomparabili exercitu obrueris, & ſicut tibi
facillimum eſt (vt ita dicam) in nihilum redegeris, videariſcꝫ
apud plęroſcꝫ in ea controuerſia , quæ iure potius,q̃ armis
ſedanda eſſet viribus & non legibus vti:Per tuum regnum:

per illud inſigne diadema quo regium caput tuũ luſtratur:
per ſceptrum illud quo regia manus tua redimitur: per ſua-
uiſſimam prolem tuã: per illum diuę memorię Caſimirum
germanum tuũ pientiſſimũ:per illam obſeruantiã ſummam,
qua chriſtianam proſequeris religionem:per illum omnipo-
tentem dñm rerum omniũ opificem, qui te ſua prouidentia
ad regium apicem ſublimauit:per eius deni cꝫ coæternũ ver-
bum,& conſubſtantialem filium,qui pro tua ſalute princeps
optime de ſummo cœli cardine deſcendere,carnem ſumere,
& mortem ſubire dignatus eſt, te ſupra id quod dici, quod
excogitari poſſit rogamus, precamur, obſecramus, obteſta-
mur: vt pacatis iam vndicꝫ chriſtianis principibus, chriſtiano
quocꝫ ſanguini gladius tuus parcat,ignoſcat,indulgeat, & in
impios catholicę vnitatis inimicos conuertatur, ab eo quocꝫ
bello abſtineas,a quo te & diuinę & humanę ratiões dehor-
tantur.En quod non ſine vehementi fletu effari poſſumus,
innocuus effunditur ſanguis:tremulus ſenex,& gemebunda
anus abſcꝫ noxa interficiunt̃, vagientes in cunabulis, in ſinu
matrum iugulant̃ infantes: miſerrimę trucidant̃ matres, co-
ram parentibus filij,coram filijs parentes interimunt̃, necan-
tur,obtruncantur, nec parcitur generi, nec ordini, nec ætati,
nec ſexui (ita in omnes abſcꝫ inſontis delectu effrenus effer-
bet miles, & cruentus gladius debacchatur) Eia ſurge Rex
glorioſiſſime,accingere gladio tuo ſuper femur tuum poten
tiſſime contra exleges agarenos , contra perfidos hæreſeos
æmulatores , intende proſpere, procede, & regna. Propter
enim veritatem,& manſuetudinẽ,& iuſticiam deducet te mi-
rabiliter dextera tua.Sagittę tuę acutę:populi ſub te cadent.

Haud enim parum (nõ modo christianę religioni) ſed & tui,
& proprio cuiuſlibet regni incremento conduceret, ſi iactu-
ras, quas non multos annos citra ipſa religio paſſa eſt tecum
noſtri principes (quãdoq; ſaltẽ) excogitarẽt, idq; quod ad rei
priuatę curam ſtudium apponunt ad publicum cõmodum
& cõmunem gloriam adhiberent. Quod ſi tu princeps au-
guſtiſſime pro tua clęmentia, pro tua religione (vti roma-
nus pontifex de te ſibi pollicetur) efficies, tantũ tibi accedet
ad gloriã, vt nihil ſublimius, nihil pręſtantius accedere poſſit.
Ipſe ſane ſummus ſacerdos animo tenens aſſiduas pugnas,
quas contra verę pietatis ęmulos, q in circuitu tuo ſunt, quo-
tidie geris, frequentiſſimoſq; triumphos ac ſingulares pal-
mas, quas adeptus es, illam inſuper venerationẽ maximam,
qua ſanctam Romanam eccleſiam obſeruare deſtitiſti nunq̃
tanta dilectiõe, tanta gratia, tanta beniuolentia, tam paterno
amore maieſtatem tuã complectit̃, tam deniq; tuæ ſummæ
probitati propicius eſt: vt nihil ſupra poſſit: ſiq; in ineundo
cum principe chriſtiano nepote tuo illuſtri fœdere, pace,
ac concordia clęmentiſſimi pontificis mentem, iuſſaq; ac
monita paterna capeſcere decreueris, nihil ſit quod optare
velis: quod & ab ipſa pontificia amplitudine facile, non aſſe-
quare. Si vero hæc lis impreſentiarũ mutua veſtrum recon-
ciliatiõe tolli nõ poſſit, ſuſpendatur ſaltem eouſq;, quo a bea-
tiſſimo pontifice, ſanctaq; apoſtolica ſede, quę vnicuiq; iuſti-
ciam exactiſſime miniſtrauit ſemp, maturo conſilio definiat̃.
Non enim eſt nouum, aut recens tuæ regiæ ſublimitati Rex
ſapientiſſime, ſupremũ omniũ chriſtianorꝫ pontificem a deo
optimo maximo ſumma illa ꝓuidentia mortalibus eſſe con-

ceſſum, non vt quieſcat: ſed vt inuigilet, ac ſolicita ſemper, &
ſtudioſiſſima mente, quæ Reipublicæ noſtræ conducant, ex
ſuo ſublimi faſtigio ſpeculetur. Vnde dominus ad eum per
Ezechielem ait, Speculatorem dedi te domui Iſrael: audies Eze.iij.
de ore meo verbum, & anunciabis eis ex me: & per Hiere- Hiere.j.
miam: Ecce cõſtitui te ſuper gentes, & ſup regna: vt euellas,
& deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices & plantes: &
Paulus apoſtolicam deſignans ſedulitatẽ inquit. Qui præeſt, Ro.xij
in ſolicitudine, & præter illa quæ intrinſecus ſunt, inſtantia ij.Co.ij.
mea quotidiana, ſolicitudo omniũ eccleſiarũ. Curarũ igitur
molibus angi, inquietari, ſolicitari, vigilare, ac nocturnas etiã
cuſtodias ſuper gregem ſuũ habere omni pontifici (romano
pręſertim aliorũ principi) ita propriũ eſt: vt quãto magis his
exerceat̃, tanto & verius pontifex exiſtat. Sicuti enim quod
proprium eſt ipſa quiſq; natura optare conſueuit, ita & ſan-
ctiſſimo pontifici optabile, & iucundũ erit pro cõmuni inter
te, & nepotem tuum chriſtianos principes pace & cõcordia
conciliandis huius cauſę ſarcinam ſacris humeris ſuſcipere,
ac pro imminentibus rei chriſtianæ diſcriminibus ſepoſita
omni requie celerius aut ſoluere, aut componere. Nec maxi
mas quantũcumq; curas alias, & ſolicitudines pontificem ali-
quorſum ab hac cauſa, vtcumq; ardua, quin non citius extri-
cetur deterrere, ſeuocare, aut impedire formides Rex inui-
ctiſſime: quũ eiuſmodi, & longe maioribus inter principes
enodandis quæſtionibus aſſueuerint Romani pontifices, ni-
hilq; hoc labore iucundius, preclariuſq; ob publicam vtilita-
tem apud eos exiſtimari merito poſſit. Sane exorta olim in-
ter Carolum magnum, & Pipinum iuniorem fratres Caroli

Martelli filios ſuper francorũ regno, alijſue prouintijs graui
Zacha. papa. contentione Zacharias Romanus pontifex non modo hanc
diſceptationẽ ſua ſentẽtia explicuit: verum & regno, & pro-
uintijs ipſis ob Caroli magni ignauiã Pipino adiudicatis Ca-
rolum ipſum pro cõmuni inter eos pace monaſticam vitam
eligere ſua authoritate ac pſuaſionibus effecit, Chilpericoq;
rege ob eandẽ deſidiam a regno deiecto francigenas omnes
ab fidelitatis iuramento, quo illi aſtringebant̃ abſoluit. Sub-
orta non multo poſt ab Conſtantino, & Leone eius filio im-
peratoribus afferendi auxilij Romanæ eccleſię difficultate:
quę tunc ab Aiſtulpho longobardorũ rege opprimebatur,
Steph.ij Stephanus ſecundus Romanus Pontifex quo huic malo ſa-
tius ſuccurreret eam cauſam hac ſententia abſoluit: vt in la-
tinos tranſlato a gręcis imperio, Carolum magnũ Pipini filiũ
ad imperij apicem proueheret: quem & Stephano ab huma-
nis dudũ erepto nata ſuper ea re inter chriſtianos principes
Leo.iij. ambiguitate, Leo tercius pontifex maximus imperatorem
(nõ modo declarauit) ſed & imperiali diademate inſigniuit:
a quo & vſq; ad hęc tempora a gręcis ad latinos tranſlatũ eſt,
& pmanet imperium. Dum inter ſe Ludouicus cognomen-
to pius & Lotharius filius (Ludouico ipſo etiam in vincula
Ste.iiij. coniecto) de imperio decertarent Stephanus eius nominis
quartus Romanus pontifex Ludouicũ e cuſtodia ereptum
imperatorem creauit, & apud aurelianos inunctum corona-
Sergi.ij. uit, Sergius ſecũdus pontifex maximus miſerandam ac cru-
entam illam inter Lotharium imperatorẽ, & Ludouicũ, atq;
Carolum fratres de regno Aquitaniæ controuerſiam miſſis
eo legatis, diuiſoq; regno ſuo arbitrio cõpoſuit atq; ſedauit.

Paſchalis ſecundus pontifex Romanus, quum ob nonnulla Paſcha.ij
chriſtianorũ ſchiſmata inter principes de feudis, atq; homa-
gijs quęſtio haberetur conuentu apud Guardacaſtellum in
agro cremonenſi habito, vnicuiq; quod ſuũ erat decernens
eam omnẽ controuerſiam amputauit. Caliſtus itidem ſecun- Caliſtus ij.
dus omnes contentiones ſua ſententia, atq; imperio abſtulit:
quæ inter Guilelmum Apulię ducem, & Iordanũ Campanię
comitem, ac alios Italiæ inſignes principes ſæuiebant. Inno- Inno.ij.
centius etiam ſecundus maximus pontifex implacabile illud
bellum, quod inter piſanos & genuenſes ſuper re nauali &
terris pluribus habebatur facto iudicio ſua authoritate com-
peſcuit, & acrem inter electores diſcordiam de Lotharij, &
Conradi ad imperium prouectione declarato ac coronato
Lothario exploſit, Vrbanus eius nominis tertius, & poſt eũ Vrba.iij.
Gregorius octauus, & Clęmẽs tertius, ac Cęleſtinus iij. eam Gre.viij. Clæ.iij.
diſceptationẽ, quæ inter Philippum francorũ, & Ricardum Cœle.iij.
Britannię reges, contra ſaracenos in Aſia dimicantes ſuper
terrarum diuiſione tunc exorta erat, ſuo arbitrio extinxere.
Innocentius tertius mortuo Henrico diſſidentibus electori- Inno.iij.
bus, nonnullisq; Philippum Sueuiæ principem & Hetruriæ
ducem, nonnullis autẽ Othonem romanorũ regem & Sa-
xonie ducem ad imperiũ eligentibus, deſtinato mox in Ger-
maniam Legato, Othonem imperatorẽ declarauit. Clęmens Clæ.iiij.
quoq; quartus controuerſias diuturnas, quæ ſuper finitimis
terris inter Henricũ Britannię regem, & Simonẽ Montisfor-
tis comitem, & deinde inter florentinos & ſenenſes inter-
ceſſerant data ſentẽtia reſecuit, atq; amouit. Benedictus duo- Bene.xij
decimus, & Clęmẽs ſextus romani pontifices ab Ludouico Clæ.vj.

Bauaro imperij fascibus abrogatis, atq; de Mediolani & toti-
us Insubriæ dominatu, cui adiudicaret, durante contentione
quousq; suo decreto quęstio tolleretur Luchinum & Ioannē
archiepiscopum vicecomites, illius prouintię vicarios ponti-
ficia authoritate assignarunt, & cōfirmarunt, Clęmentisq; ip-
sius mandato electores Carolum Ioannis Boemię Regis fili-
um ad imperij apicem delegere. Innocentius quoq; sextus
(vt plęrosq; alios pontifices breuitate omittamus) venetos
& genuenses diu inter se maritima pugna acerrime dissiden
tes, pisanosq;, & florentinos sup limitibus & vicinis terris in-
uicem decertantes assignato cuiq; quod suū esset a bello de-
sistere, & pacem inire coegit. Pontificis igitur iudiciū, nec tu
Sigismunde Rex pijssime, nec Albertus inclytus nepos tuus,
& magnus Prussię magister, in hac cōtrouersia vllatenus eui-
tare, aut honeste declinare potestis: quādoquidē & ad illum
causę huius cognitio pertineat, & longe maiora, ac grauioris
momenti christianorū principum dissidia & super regnis, &
Romano imperio contentiones Romani pontifices Christi
dei ac principis nostri veri in terra vicarij intermisso bello, &
suspensis armis definierūt, sententiamq; sua pontificia maie-
state ac decreto roborarunt, & obfirmarunt. Nec illos princi-
pes imitari debes: q armis atq; potētia ius sibi dicere, facereq;
consueuere: sed eos qui pij: qui religiosi: qui christianū & in-
noxium sanguinē terris omnibus & regnis anteponentes nō
tumultu bellico, non militari manu: sed iure, atq; sanctorum
patrum decreto, siue arbitrio, quod suum esse censebant per-
quisiuere, & adepti sunt, Christiq; veraces cultores, & chri-
stianę pacis obseruatores cōstantissimos seipsos exhibuere.

Hanc tuis excoelsis virtutibus, & rebus gestis, hanc tuis subli-
mibus pręconijs laudē quoq; adijce Rex gloriosissime, Hanc
in te pietatem erga deū optimū, hanc in te erga christianam
tranquillitatē clęmentiam, hanc in te erga romanam eccle-
siam insignem venerationem ostendas, atq; illam in te specu-
letur, in te admiretur, deq; concionetur, & declamet chri-
stianus orbis vniuersus. Hoc de tua augustissima probitate
sanctum: religiosum, piumq;, & egregiū facinus Sigismnnde
chartis inscribatur, perpetuisq; annalibus commendetur, ac
Sigismūdo Sarmatię Regi inuictissimo nihil ad gloriam de-
fuisse dicatur: qui omnem in re pruthenica causam suam: vt
christiano sanguini parceret: vt christianis rebus consuleret
princeps religiosissimus in arbitrium, ac censuram beatissimi
Leonis decimi Romani pontificis supplex & venerabundus
reposuit, christianisq; principibus omnibus (vti ea tēpestate
annis, & ætate pater erat) ita & se eis religionis, & pietatis,
omniumq; virtutū exemplar reliquit. Quod vt facias omnis
& diuina & humana ratio expostulat, nosq; princeps optime
votis omnibus obsecramus, quum & ipse reuerendissimus
& Illustris magister hoc idem nec detrectare nec refugere
possit. Cęterum vt religioni, tuisq; probatissimis votis sa-
tisfaciat pontifex, piæ memorię Casimirum germanū olim
tuum dulcissimū sanctissimæ vitæ meritis, ac miraculorꝫ vir-
tute pręclarū in sanctorꝫ cathalogum referre cupiens nobis
accuratissime mandauit: vt de eius sanctimonia, integritate,
ac mūditia, gloriosisq; miraculis actitata hucusq; monimēta
mature perspiciamus, omnesq; ad id necessarias agamus in-
uestigationes: quas & scripto redactas ad ipsum beatissimū

antistitem, sacrumq; S.R.E. senatum vel nobiscũ afferamus, vel transmittamus. Ad quod opus tanto nos omni corde Psal.lxvij. promptiores accingimus, quãto & mirabilis, magis est deus in sanctis suis. Hęc sunt Rex clarissime, quæ cęlsitudini tuę apostolico iussu significanda suscepimus. Nonnulla quidem alia, fidei nostrę credita habemus: quæ pro christianę reipublicę incumbentibus rebus Pontificis mandato, quũ tibi iniucundum nõ erit semotis arbitris aperiemus. Dixi.

NONO CALEN. MARTIAS.
M. D. XX.

PONTIFICATVS SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS LEONIS DECIMI PONTIFICIS MAXIMI ANNO VIII.

EIVSDEM REVERENDISS. PATRIS ZACHARIAE Pontificis Gardieñ Legati apostolici ad serenissimũ Poloniæ Regem Sigismundum pro belli pruthenici suspensione ac armorum depositione impetrata, gratiarũ actio.

ETSI POTIVS OPTASSEM de perpetua inter te & Albertum Prussię magistrũ facta reconciliatione ac pace inita (si datũ esset) ęternas deo opti. maxi. tibiq; Sigismũde Rex potentissime gratias agere: pro cruento tamen hoc & diuturno bello a te saltem intermisso eas nequaq; pretermitendas esse censeo, quandoquidem tu princeps clęmentissimus christianę cladis misertus sanctissimi Leonis decimi antistitis maximi paterno consilio ac imperio pontificio parere pro innata tibi religione nõ recusasti. Ampliore profecto ac iucundiore gaudio lętari decuisset: si omni pene christiano orbe pacato hanc quoq; habitabilis terrę extremitatem ab omni belli suspitione ac periculo immunem cõspicaremur, illudq; dauidicum: quod quotidie ore versamus: Venite & videte opera domini quæ posuit prodigia super terram auferens bella vsq; ad fines terrę, in hoc tuo regno adimpletũ esse contueremur. At quum ad quattuor annorum inducias pro beatissimi pontificis voto tuũ animũ inclinasti, qbus ad perennem pacem via facilis habenda est, summo illi opifici imprimis, a quo omne datum optimũ & omne donũ pfectum est, quas possum immortales & immensas, tuęq; serenitati ingentes habeo, agoq; gratias, ac referre opto, postq; tot rei christianę periculis a te occurrit, postq̃ pontifici sanctissimo obtemperat, postq; tot nostras curas, & operas assiduas: tot

varia, longa, & difficilia itinera, tot mentis & corporis discrimina, pericula, tot sedula officia frustra & in cassum non egimus, non suscepimus, ad illosqꝫ pedes beatissimos, & thronū apostolicum tantorū laborum fructum aliquē referre liceat. Tuū erit interea rex amplissime eis cōditionibus, eis modis regium tuum animū benigne flectere & accomodare, qbus inter te auunculum serenissimū & Albertum ex sorore nepotem principem excellentissimū, ac ordinem theutonicorꝫ vera, integra, ac perpetua recōciliatio, pax, & necessitudo instaurentur, illaqꝫ dissidia, illa arma: quæ hactenus inter vos efferbuere, in hostes christiani generis & catholicę vnitatis inimicos: quos in ianuis vestrum vterqꝫ habetis reijciantur. Subeat nunc illa sancta & salubris cogitatio assumēdi arma in turcas, in mauros, recuperādi patriam illam mystico lacte & melle manantem, vbi deus noster ante sęcula operatus est salutem in medio terrę: vt inde omni infidelium, & immundorum hominum lue eliminata, & sublata tyrannide liberi adoremus in loco vbi steterūt pedes eius. Subeat nunc cura illa egregia & insignis eripiendi fratres nostros, verum semen Abraę de impijssimi Maumethis iugo, ac oriētale imperium sanctę & immaculatę religioni restituendi. En sub crudeli diutinaqꝫ seruitute genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis languet, super flumina babylonis sedet, & luget dum recordatur liberæ Syon nostrę. Huc rex inuictissime: huc rex gloriosissime vna cum nepote tuo charissimo Alberto illustri principe, vna cum christianis principibus vniuersis apprehēde arma & scutū, & exurge in adiutoriū christiani populi. Effunde frameā tuā aduersus eos qui nos persequuntur. Hæc enim sunt quæ te gloriosissimū, tuamqꝫ prolem dulcissimā Sigismundū Augustū principem quem diu votis omnibus efflagitatum, expectatum a deo optimo ex Bona regina inclyta tandem, quū ex aragonum regibus tum ex sforciadum ducum sanguine pręstantissima, nostręqꝫ Italię splendore candidissimo impetrasti faustum & inuictum vbiqꝫ, posteritatemqꝫ tuam ęuiternam efficient. Gratulor itaqꝫ quieti tuæ rex amplissime, gratulor tranquillitati, vixqꝫ explicari a me potest quanta lęticia, quāto gaudio mea vndiqꝫ pręcordia cōpleant': quū te sospitem, pacatumqꝫ modo in regiam tuā vrbem Graccouiā reducem almę coniugis, chariqꝫ Augusti: quē amplius vidisti nunqꝫ: & dulciū pignorum, a qbus absuisti diu, iucundissimo cōspectu oblectandū adeo esse his oculis, pspecturus sum: vt omniū curarū quas hactenus subijsti, sustinuisti, tum te oblitū fateare. Dixi.

THORVNII IN PRVSSIA
VII. IDVS APRILIS
M. D. XXI.

PONTIFICATVS SANCTISS. PATRIS
LEONIS X. ANNO IX. REGNI VERO
SERENISS. POLONIAE REGIS
SIGISMVNDI. XV.

